



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput Ultimum. De reliquis irreligiositatis speciebus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

promittit, ut ab eo commendetur, & operâ illius beneficium acquirat.

4. Qui, pretio accepto, cedit juri dubio, quod habet ad beneficium, ut si duo litigent.

5. Si Joannes V. G. resignet Beneficium Paulo fratri Catharinæ, ut ipsam recipiat uxorem.

6. Pecunia &c. data pro collatione Beneficii à parentibus, vel aliis in favorem beneficiati, ipso, conscio facit, ut simoniaci sint & donatores, & Beneficiatus.

## CAPUT ULTIMUM.

### *De reliquis irreligiositatis speciebus.*

#### §. I. *De superstitione, & idololatria.*

**S**uperstitio, quæ aliter falsa religio dicitur, est, *Vitium Religioni oppositum, præscribens cultum divinum ei, cui non competit; vel ipsi Deo aliter, quàm competit.*

Dum *Cultus Deo debitus transfertur ad alium*, dicitur superstitione falsi numinis, seu idololatria.

Dum *indebitus, & illegitimus Deo vero offertur*, vocatur superstitione cultus incongrui: ut si quis verum Deum jam sacrificiis, & cæremoniis Judaicis colat.

Idololatria est, *Superstitio falsi numinis, quæ divina reverentia exhibetur creature.*

Divinatio est, *Indebita rerum occultarum, quæ humanitùs sciri non possunt, inquisitio, vel enuntiatio, recurrendo sc. ad auxilium demonis.*

Alia fit per expressam dæmonis invocationem, seu solemnem, alia per privatam.

*Solemnis est, quando ab ipso comparente ad instar Principis cum Satellitio &c. aliquid postulatur: Privata est, quando à demone quidem expressè petit, sed refugit aspectum illum terribilem, adeoque per magum, aut demoni sub privati alicujus figuræ libellum supplicem offert. Varia sortitur nomina, prout diversimodè consulitur dæmon.*

Alia fit per invocationem dæmonis implicitam, Dum sc. utimur mediis, quæ nec à natura, nec à Deo vim habent rerum occultarum cognitionem ingerendi: tunc enim cum non expectetur cognitio virtute naturali mediorum, nec à Deo, necessario expectari debet à diabolo, qui vanis, & curiosis hominum indagacionibus seseingere, & res occultas per similia media subindè aperire solet. Hinc

Collige 1. Graviter sæpè peccare, qui occasione somniorum sibi imaginantur, *hodie obveniet mihi infortunium, hodie litigabo &c.*

2. Qui ex aranea visa in veste, vel pariete, manè colligunt pecuniam accipiendam, vesperè infortunium obventurum.

Divinatio per tacitam dæmonis invocationem varia habet nomina secundùm diversitatem mediorum, quæ adhibentur. Præcipua divinationis species inter cæteras est *sortilegium*, seu divinatio per sortes, quando aliquid ex actione hominis conjicitur.

Sortes sunt triplices; divinatoriæ, divisoriæ, & consultoriæ.

*Divinatoria sunt, quibus ex certo motu rei non*

*connexa certum elicitur iudicium facti, aut alicuius futuri, ut fit V. G. per pelvim, plumbum liquidum aquæ infusum.*

*Consultoria sunt, quibus consilium Divinum exposcitur ad sciendum, quid in re obscura agendum. Tales Dei tentationem continent, & non nisi propter instinctum Divinum, aut necessitatem in re summè ardua, deficiente humano consilio, cum summa reverentia, & in Deum fiducia permitti queunt.*

*Divisoria sunt, quibus decernitur, quibus re-tribuenda sit: tales licitæ per se sunt, V. G. jactus aleæ, dum ex duobus reis tantum alteruter est occidendus, dum de re indivisibili æqualis utrimque habetur probabilitas.*

### §. 2. De vana observantia.

**V**Ana observantia strictiùs sumpta est, *Superstitio, secundum quam actiones nostras dirigimus, effectum aliquem per media inutilia, que vim non habent illum producendi, expectando. V. G. si invulnerabilitatem expectem, gestando quædam verba scripta, & eadem legendo: si quis mali ominis loco accipiat, quòd felem, aut canem primò habeat obvium, & ideo pedem referat.*

Quæres, an Joseph in carcere prædicens pincernæ libertatem, pistori patibulum, &c. an Ge-  
deon Judicum 7. utens somnio, tamquam signo, quòd Madianitas profligaret, usi fuerint vanâ observantiâ?

ꝛ. Neg. Quia similia divinitus inspirata sunt,

ac proinde non peccavit servus Abrahæ Gen. 24. observans ex dando sibi potu, & camelis, Rebeccam maritandam esse Isaaco.

*Observantia vana* varia habet nomina: vocatur *ars Notoria*, si aliqua scientia subitò, & absque labore expectetur per media nullo modo connexa, per inspectiones figurarum, per enuntiationem certorum verborum &c.

Si expectetur conservatio sanitatis, invulnerabilitas, curatio vulnerum, aut morborum, dicitur *observantia sanitatum*.

Si aliquid prosperi, vel adversi ex eventu fortuito expectetur, & inde actiones nostras moderemur, dicitur *observantia futurorum evenuum*, ut si quis caveat assidere mensæ, in qua sunt duodecim, ne sit decimus tertius, putans ex illo numero unum moriturum &c.

### §. 3. De Magia, & veneficio.

**M**agia generatim nil aliud est, quàm *ratio operandi mira, & insolita*. Alia est naturalis, quæ absque demonis adminiculo operatur *mira*, estque per se licita, licet sit periculosa: alia *superstitiosa*, quæ demonis ope *mira* quædam per certa *signa operatur*.

Si *mira* operetur tantum ad ostentationem, vel proprium commodum, aut alienum, vel ad delectationem &c. dicitur simpliciter *magia*, V.G. si spectatores suos faciat saltantes magus, si ex longinquis regionibus, persoluto ibi pretio, subitò accersat vinum &c. Si fiat ad alteri nocendum, dicitur *maleficium*, seu *veneficium*.

Est peccatum ex genere suo mortale, utpote continens vel explicitam, vel implicitam dæmonis invocationem, conjungiturque sæpè cum aliis peccatis gravissimis, V. G. idololatria, blasphemia in Deum, vel Sanctos, Dei ejuratione, abusu rerum sacrarum, præsertim Eucharistiæ, nefariis cum ipso dæmone libidinibus, proximi damnificationibus, de quibus sigillatim interrogandus est à Confessario magus, & veneficus.

Observandum, ut benè advertit in libris de Civ. Dei S. P. Aug. quòd similia sæpè non fiant in magis, sed dæmon afficiat 1. eorum imaginationem, ac si reverà ita esse translocati, aut mutati sibi videantur, per aliud aliunde corpus adductum.

2. Fascinando oculos videntium, ut putent se videre felem V. G. ubi vident sagam.

3. Circumponendo corpus aliquod aërium, quod eodem modo afficiat nos, ac si adesset talis V. G. persona, tale brutum &c.

1. An liceat amovere signa magica?

Observandum, quòd, licèt dæmon sit juratus hominum hostis, & circumeat leonis instar, quærens, quem devoret, Deus tamen non det ipsi immediatè potestatem agendi in nos, saltem ordinariè, sed per homines confratres nostros, ne, dum ipse potentior adversarius vires suas in nos exercet, nimiùm foret nobis formidabilis, adeoque multi pusillanimes ad ipsum recurrerent, vel se submittendo, vel postulando immunitatem: hinc & per res natu-

tu-

urales nocet, V. G. aciculas, crines, stramina &c. quibus semotis juxta Dei ordinationem permissivam nec vult, nec sæpè nocere potest: dat autem hæc signa Dei simia, ferè eodem modo, quo Christus Sacramenta suis, ut scilicet ad positionem similium mirabilia operentur. Ubi illa ponunt, homagium præstandum est per cultum aliquem designatum, quem nisi ponant, verberibus &c. luunt prævaricationem. His dictis

1. Aff. Tum in odium, & contemptum dæmonis, magicæque superstitionis, tum etiam ut ille dæmonis effectus impediatur, modò id fiat citrà maleficium, & effectus ille à dæmone non expectetur, quia hoc est merè resistere dæmoni, qui absque signis nocere non solet, aut potest.

2. An liceat à malefico petere dissolutionem maleficii?

1. Neg. Si petatur, ut maleficium malefico solvat, quia induceretur ad peccandum. Nec licet etiam, dum non nisi per maleficium solvere potest, licet tamen petere, quando sinè malefico solvere potest, licèt sciam, quòd non sinè malefico faciet, quia cùm justam causam habeam, nempè depellendi à me mala &c. quibus affligor, permissivè me habeo respectu maleficii, & malitiæ ejus.

## CASUS X.

*Quid agat Confessarius, dum habet, divinatores, magos, maleficos sibi confitentes?*

## 150 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.

R. Inquirat 1. An habuerint implicitum, an verò explicitum, & expressum cum dæmone pactum? 2. De variis superstitionibus, quas commiserunt, & quoties. 3. An non fuerint apostatæ, hæretici, vel idololatræ? Magi enim, malefici, & divinatores, præsertim expressum cum dæmone pactum habentes, sæpè abnegant Christum, & Deum, dæmonique tanquam Deo, vel sancto adhærent, renuntiantque consequenter Sacramentis, præcipuè Eucharistiæ. 4. Quoties Deum, & Sanctos blasphemaverint, & an non commiserint sacrilegium, abutendo Eucharistiâ, vel aliis rebus sacris, & quoties? 5. An non commiserint peccata luxuriæ cum dæmone incubo, vel succubo, & quoties? 6. An non fecerint aliqua damna proximo, & quale, quibus personis, & quoties? Quia si occiderint clericos, incurrunt casum excommunicationis Pontifici reservatum. Et quoniam tales infinitis peccatis sunt obnoxii, vix omnia Confessarius petere potest: unde ad illa scrupulosè hære non debet, sed magis sollicitus esse, ad illos ad veram detestationem illorum gravissimorum scelerum adducendos &c. Insuper iuterrogentur, an alios docuerint maleficia, & quot? Quia absolvi non possunt, nisi illos convertant; si verò illi nolint converti, debet referre ad superiores, & accusare.

Ut autem Confessarius meliùs possit remedia præscribere, per quæ possint vincere illa peccata, petat à pœnitente, cur tali superstitioni &c.

se addixerit? V. G. an ratione vehementis passionis, an ratione tristitiæ, vindictæ, avaritiæ, aut ad nomen sanctitatis obtinendum &c. Et tunc remedia proportionata præscribere potest. Ante absolutionem tamen Confessarius ab eo exigat, ut renuntiet diabolo, & abjuret omne pactum, & commercium, quod cum illo habuit, & quòd scriptum chyrographum, si quod à dæmone habeat, igni injiciat, vel Confessario potiùs tradat igne comburendum.

Si habeant magi &c. aliquos libros, vel instrumenta magica, similiter ea comburant &c. vel si alicubi posuerint aliqua signa ad nocendum aliis, statim illa auferant, si sine novo maleficio id facere possint, quibus acriter propositis, & executioni mandatis (si nihil obstet) Confessarius absolvere potest; suadendum autem esset similibus, ut saltem pro aliquo tempore non essent soli, sed, quantum possibile est, diu noctuque cum aliquo viro pio, nè dæmon illos iterum seducat. Inculcandum itidem, ut sæpiùs redeant ad confessionem, devotè quotidie Sacro assistant, iteratò repetant actus fidei, & sese in omnibus Divinæ authoritati submittant &c.

